DISSERTATIO ORATORIA DE CAVSA BELLI GERMANICI,

INTER DVOS ORATORES CÆSAREVM & SVECVM.

Stylo NICOLAI VERNVLÆI *Historiographi Regij, & publici Eloquentiæ Professoris Louanij.*



LOVANII,
Typis PHILIPPPI DORMALII,
Cum Priuilegio 1635.



ILLVST.MÆ ET EXCELL.MÆ

DOMINÆ

ALBERTÆ

PRINCIPI AREMBERGIÆ

MARCHIONI DE TRELON,
COMITI DE BOCARMES,
BARONI D'ARGENTEAV ET
HOSFALISIÆ,

Dominæ de Harem, Bury, Bayuers,
Waillers, Voſmaer, &c.

DOMINA

Ecce veniunt ex Palæſtra Academica ad Excellentiam Tuam *Oratores duo, Cæſareus vnus, alter Suecus. Ambo Filij tui ſunt, & dum de* Cauſa Belli Germanici *non idem ſentiunt, ad* Illuſtriſſimæ Matris ſuæ *judicium prouocant. In hac Controuerſia Fratres*

amore manent, ſed dum experiri naſcentis in ſe Eloquentiæ vires volunt, opinione diſcordes ſunt, non animo. Ardua hæc cauſa eſt, & quæ armis hactenus diſceptatur, ſed nunquam melius, quam in arduo illuſtríque argumento Eloquentia ſe probat. Tua Excellentia, *quo pollet maturo Iudicio Controuerſiam eorum definiet, ipſi acquieſcent. Quippe ſatis ijs eſt ſtudij ſui ſpecimen* Matri *exhibuiſſe, & quantum aliquando in Republica poterunt, hoc tempore in Oratorio puluere oſtendiſſe. Votum eorum eſt, Prudentiam & Eloquentiam acquirere; per vtramq; poſtea Patriæ vtiles eſſe, &* Illuſtriſſimæ Familiæ ſuæ *ornamento. Ego, qui illos ad vtramque duco, nunc ſiſto.*

EXCELLENTIÆ TVÆ

Obſequio Deuotus

NIC. VERNVLÆVS.



DISSERTATIO ORATORIA DE CAVSA BELLI GERMANICI,

INTER DVOS ORATORES CÆSAREVM & SVECVM.

ORATIO I.

SVECI ORATORIS.



VANTVM hactenus omnium animis Suecorum in Germania victoriæ felicissimiq; rerum successus terrorem incusserint, dum adhuc consternatis mentibus Germani viciniique omnes po-

puli trepidant, nemo eſt, vt opinor, AVDITORES, qui ignoret. Vidit hæc ætas & ſenſit, poſtquam in Germaniam Septentrionem noſtrum effudimus, quod nulla vnquam prouincia, poſt longam etiam poſteritatem, ſe viſuram, ac multò minus ſenſuram, arbitrabatur. Et ille Guſtauus Rex noſter, pluſquam Cæſar, pluſquam Alexander, pluſquam Auguſtus, vbi primum horrendo fulmine ſuo in Germania detonuit, victrices antea Romanæ Aquilæ, quæ ſolem irretortis oculis intuebantur, mentem & animum inſolito cum horrore demiſerunt; atque ipſa etiam Auſtriacæ Gentis potentia, ſub quâ tot regiones gemebant, quam tot Reges Principesq́ue formidabant, cui ſeruitutem orbis vniuerſus polliceri videbatur, vltimam pernitiem atque interitum pænè cum deſperatione perhorruit. Nulla enim tempeſtas vnquam tanto cum fragore deſæuijt; nullum fulmen tanta celeritate prouinciam vllam cadentibus ignibus perterrefecit; nulla aquarum illuuies

uies ſolutis cœlorum cataractis tanto cum terrore terrarum orbem inuoluit, quanta cum formidine Germaniam vniuerſam victoriarum noſtrarum curſus morientibus his, fugientibus illis, attonitis & trepidantibus omnibus inuaſit. Poterat ſanè in Gloriæ ſinu conquieſcere Rex noſter, qui laudem omnem in Moſcouia Poloniaque ſibi compararat; poterat in triumphali curru perpetuo ſedere, qui ſuorum armorum famâ non modo Septentrionem noſtrum, ſed totam Europam implerat; neque erat ita ambitioſus, vt nouas in Germania lauros quærere deberet, neque ita temerarius, vt illam Auſtriacæ Gentis potentiam tam vaſtam, tamq́, triumphantem irritare vellet, niſi eum grauiſſimæ cauſæ euocauiſſent, & ingentia maris ſpatia tranſmittere coegiſſent. Nulli ſuarum terrarum poſſeſſionem inuidebat, cui terrarum plus ſatis erat; cum omnibus pacem, & in ſuo regno tranquillitatem amabat; carere tot moleſtijs, laboribus, & periculis optabat, quibus

ſe cum regni vitæque diſcrimine, vt publico bono conſuleret, immiſit; ſed illum aliena pericula & iniuriæ vindicem in Germaniam accerſiuerunt. Neceſſitas illum, non impotens ambitio, non auida latius regnandi cupiditas, ad ea arma compulit, per quæ concuſſo imperio & ſubiugatâ maiori Germaniæ parte ad illud ſummæ Gloriæ faſtigium aſcendit, in quo ipſum omnes propemodum Europæ regiones aut horruerunt, aut honorarunt. Sed quoniam quidam hodie non credunt, & vt trophæis eius laudem detrahant, Gloriæ maculam aſpergant, famam immortalem dilacerent; vt, inquam, ſoli tenebras, ſi poſſint, offundant, palam dicere vbique non deſinunt Guſtanum noſtrum, verè Auguſtum, non iuſtum Bellatorem, ſed iniquum Graſſatorem extitiſſe, quem non alicuius iuſtitia cauſæ, ſed dominationis appetitus, & imperij occupandi cupiditas ex Septentrione in Germaniam attraxerit, nos, ſi placet, tantæ eius expeditionis cauſas in hoc Academico

demico puluere exponemus, & victoriosissimi Regis Gloriam ab iniuria calumniaque vindicabimus. Vos, quotquot hic adestis, mihi eius Oratori, quâ beneuolentia, quâ attentione fauete, vt cum me audiueritis, triumphalem illius currum plaudentibus animis & manibus sequamini, quem vniuersa semper Europa loquetur, de cuius laudibus nullæ vnquam litteræ conticescent, cuius victorijs ac trophæis tota Posteritas applaudet.

Omnium confessione Gentium certum est & indubitatum, eum, qui hostibus concitandi belli est author, & auxilia subministrat, inter hostes censendum esse. Ita Romani cum aduersus eos Antiocho Ætoli fauissent, Ætolos inter hostes suos numerarunt; & cum Macedonum Rex Philippus cum Hannibale Italiæ tum incubanti fœdus percussisset, eum non aliter, quam hostem, grauissimo bello sunt persecuti. Quis verò nescit Ferdinandum Secundum Imperatorem belli à Polonis ad-

uersus Suecos suscipiendi causam extitisse? Quanquam quid causam dico? Eum, inquam, potentissima Polonis auxilia suppeditauisse? suas copias in Prussiam Holstenio Arnhemioque Ducibus misisse? ne pacem vllam cum Rege nostro componerent, diligenter cauisse? Vidimus volitantes per diuersa Prussiæ loca Germanici Cæsaris, tanquam detonantis Iouis, Aquilas, quæ fulmen inferebant; audiuimus seuerissima illa edicta, quibus ne qui Gustauo nostro militarent, aut quicquam bello necessarium Suecis suppeditarent, prohibebatur; sensimus manus illas, quæ in nostram perniciem, cum nullâ iniuriâ lacessitum à nobis Imperium esset, ferro armatæ ruebant. Superauimus tamen, & qui Moschorum in media glacie hyemeque, aspero & immiti cœlo virtutem fregeramus, Polonos, Gentem acrem, bellicosam, victoriosam, inter arma, & pæne cum armis natam, elusis Cæsareis auxilijs refrænauimus. Liuoniam momento prope debellauimus

& Ri-

& Rigæ Reualiæque trophæa ad ſempiternam poſteritatis memoriam ereximus; in Lituania poſt tot glorioſiſſimas victorias victricia ſigna fiximus; de Boruſſia frendente & inuito hoſte triumphauimus. Quę omnia cum nobis Ferdinandus Cæſar inuiderit, & in belli ſocietatem cum Polono venerit, an non debuit Guſtauus noſter armorum ſuorum vim in Germaniam effundere, & pro bello bellum Imperatori rependere? Taceo, quod cum Rex noſter litteras ad Tranſſyluanum per internuntium miſiſſet, eæ à Cęſareanis violato Gentium iure interceptæ fuerint & reſignatæ. Qua de re cum delatæ querelæ eſſent poſtulataque iuſtitia, nihil aliud, quam riſum opprobriumq; querelæ noſtrę reportarunt. Non illud etiam commemoro, tot & tam diuerſis in portubus Suecos noſtros vim indigniſſimam, quam Cæſareani inferebant, eſſe perpeſſos, detentas eorum ſummâ iniuriâ naues, additas fiſco merces, commercia illis in Imperio & cum Germa-

nis interdicta; quę singula profectò quemadmodum Gustaui nostri animum iustissimâ indignatione vehementer perturbabant, ita eum ad arma & vindictam excitabant. Sed maiores aliæ iniuriæ calumniæque æquissimum optimumque Regem ad bellum Cæsari inferendum adegerunt. Cum Cæsaris Daniæq; Regis Legati ad sanciendam post tot belli incommoda concordiam Lubecæ conuenissent, Rex noster publicæ pacis amantissimus, eo quoq; Legatos suos destinauit; nec alio consilio, quam vt de Stralsundæ obsidione tollendâ cum ijs agerent, & pacem in Imperio promouerent. Quid deinde verò? fœdè excepti sunt, non admissi, non auditi, atque insuper cum ignominiâ contra Gentium ius vbique receptum abire iussi; & ne pedem in Imperij ditiones vllas inferrent, seuerè prohibitum est. Poterátne generosissimus Rex illatam Legatis suis iniuriam æquo animo ferre? Poterátne eam infamiam Maiestatis suæ nomini inustam patienter

tolerare? Quiescere, si absit iniuria, modestiæ est, cum illa adest, non commoueri, non vlcisci stultitiæ est & improbitatis. Bene de Germania vniuersa mereri Rex noster volebat, non volebant Cæsareani; susceptum concordiæ inchoatæ negotium promouere desiderabat, non placebat Cæsareanis; vt Stralsunda futuræ pacis legibus comprehenderetur optabat, non admittebant Cæsareani; vt Ducum Megapolensium causa benignè discuteretur vrgebat, nolebant Cæsareani, atque idcircò Legatos nostros non admittere, quam postea eijcere, maluerunt. Quod si verò nullam Romani iustiorem belli causam, quam Legatorum violationem, aut contemptum esse iudicarunt, & hanc ob causam subacti Tarentini, deleta Corinthus, Illyrij summâ vi superati, aliæque plures vrbes solo sunt æquatæ, an non potuimus, imò debuimus, pro iniuriâ bellum inferre, pro contumelia vindictam exposcere, pro contemptu vim armorum in Imperium vniuersum im-

mittere? Non ita Sueci in Septentrione nostro obduruimus, vt illatam nobis iniuriam non sentiamus; non ita Gloriæ nostræ immemores sumus, vt contemni nos patiamur. Scimus maiores nostros, & æternum recordabimur, regnum in Hispania condidisse, Galliam aliquando subiugauisse, Italiam domitam suis trophæis illustrauisse, prouincias omnes alias victorioso transitu perterrefecisse, ac nullum olim gloriosius in orbe nomen, quam Gothorum Vandalorumque fuisse. Quid, quod Duces Mechelburgenses propinqui & consanguinei Regis nostri per vim ditionibus suis erant exturbati, & eæ omnes ad Walstenium translatæ? Quid, quod Bogislaus Pomeraniæ Dux vrbibus omnibus suis, præterquam Stetino & Stralsundâ, exutus, patriâque vniuersâ, quam sub iugo Walstenius tenebat, spoliatus, ad Regem nostrum, tanquam ad asylum, & solum miseriæ suæ depulsorem confugiebat? Quid, quod alij tot Principes & populi regionibus suis vel

eiecti, vel grauissimâ seruitute oppressi interque vitam & mortem vix respirantes illum ex Septentrione, tanquam è cœlo Deum, euocabant? Potuisſétne cognatorum suorum miserias & exilium siccis oculis ac coniectis in sinum manibus intueri? Potuisſétne non motis armis Walstenium Megapolitani Ducatus titulo superbientem, & in alieno Principatu crudelissimè dominantem videre? Potuisſétne tot afflictissimorum Ducum ac populorum lachrymas spectare, tot miserorum eiulatus audire, tot implorantium opem suam lamentationes intelligere, nec eorum dolore percelli? nec misericordia commoueri? nec auxiliatricem manum porrigere? nec vniuersas regni sui vires concutere, & ad arma repentè prosilire? Non, non potuisset, nec debebat, nec iustum erat. Regum enim est, & generosorum sanè Regum, Principes calamitosos subleuare, populis iniustè oppressis succurrere, ab amicis, & affinibus, & consanguineis miserias depellere,

lere, ſeruitutemque indigniſſimam arcere. Tota illi Germania pæne perdita & exhauſta manus tendebat, vt erat generoſus ad eius auxilium accurrit; opem eius amici omnes & affines ſuis ditionibus expulſi poſtulabant, vt erat fideliſſimus, cum exercitu illis ſuccurrit & reſtituit. Suppetias, ſuppetias tot oppreſſi iacentesque populi, qui vix hiſcere ſub ferro audebant, abruptis eiulatibus clamabant, vt erat miſericors depulſis Cæſareis Aquilis eos erexit, recreauit, confirmauit. Hic ego te, ô Germania appello, an non hodie ſub turpiſſimæ ſeruitutis iugo miſerè afflicta iaceres, ſi te non erexiſſemus? an non Cæſar & Hiſpanus immaniſſimorum pedibus militum conculcatam te in triumphum abduxiſſent, ſi te non ex eorum manibus eripuiſſemus? Vbi eſſet hodie tua illa Lutherana religio, quam Imperator ſeueriſſimis edictis, bonorum omnium ſpoliatione, & crudeliſſimo ferro perſequebatur, ſi non excelſiſſimi animi Rex noſter relicto regno regaliq; ſolio cor-

pus

pus suum pro eius conseruatione in vltimum discrimen adduxisset? Ipse est, qui tibi tuæ Religionis libertatem, quam nemo bonus, nisi cum anima simul amittit, vindicauit. Ipse est, qui tua tibi Priuilegia conseruauit, quæ Cæsar cum in Pomerania Nobilibus confirmaret, Religionis libertatem excepit. Ipse est, qui decurrentes Cæsaris per mare Balticum, vt Polonis auxilio essent, naues repressit; qui Piratas mari & portubus infestos depulit, qui libera cum omnibus commercia tibi seruauit, qui Wallstenium à Pomeraniæ portubus, quos occupare volebat, vt Germaniæ frænum aut aut compedes iniiceret, auertit. Ipse est, cui bona omnia, cui libertatem, cui vitam & salutem debes. Et vos, ô strenuissimi Germaniæ Principes, Imperij lumina, religionis ornamenta, qui tunc erant animorum vestrorum sensus, cum libertatem vestram in vltimo versari discrimine cerneretis? cum Cæsareanos exercitus in ditionum vestrarum visceribus grassantes, subditorum

veſtrorum iugulis ferrum intentantes, vrbium & arcium mœnia conquaſſantes, & vos, vos, inquam, Imperij Proceres ac velut Reges quoſdam, è chariſſimæ Patriæ veſtræ complexu exterminantes videretis, horreretis, ſentiretis? Veſtri tum omnium oculi in Sueciam noſtram erant conuerſi, & illam ipſo aſpectu veſtro commouiſtis; vota faciebatis, vt arma pro vobis induere Guſtauus noſter vellet, exauditi eſtis, & cum eius animum miſeriarum veſtrarum miſertus Deus excitauiſſet, arma pro vobis induit. Fruſtrà erant veſtræ apud Cæſarem querelæ, poſt quas non minuebantur, ſed augebantur miſeriæ; fruſtrà tot Legati cum precibus ad eum miſſi, quibus cum non ſatisfieret, ad alienum auxilium ipſa vos neceſſitas compulit, & arma quodammodo manibus veſtris ingeſſit. Atque hæc eſt neceſſitas illa, quæ cauſæ veſtræ iuſtitiam adiunxit, cum quod neceſſarium eſt, idem ſit & iuſtum; quæ naturam in vobis concitauit, vt cum adeſſet potentiſſimo inſtru-

ctus exercitu Rex noster, arma simul pro religione libertateque corriperetis. O Animi verè excelsi & supra fortunam ipsam positi! O pectora seruire nescia, & veræ tantum libertatis receptacula! Simulent quicquid possunt Austriaci, nihil hic dissimulabo. Simulabat Cæsar velle se supremâ Imperij authoritate Rebelles quosdam & seditiosos punire; spargebat in vulgus Aulæ suæ decreta, quibus occupata à Principibus Lutheranis Catholicorum Ecclesiasticorum bona restitui seuerissimè mandabat; sed nimirum simulatione istâ fœderatos Imperij Principes opprimere, & sub iugum Gentis Austriacæ redigere volebat, vt illi in posterum seruirent, illamque adorarent. Verùm ad alia & indigniora veniamus. Conquestus apud Principes Electores de varijs iniurijs Rex noster erat: quid illi? an fortassis satisfecerunt? Nihil minus; an saltem rescripserunt? Rescripserunt sanè; cui? Gustauo. O nunquam ferendum opprobrium! ô iniuriam armis omnibus vindi-

candam! Reſcripſerunt, nec Regem appellarunt, vt ſuppreſſo Maieſtatis eius titulo Dignitatem ipſius irriderent, aut negato, regni Suecici vſurpatorem tantum eſſe declararent. Quid hic dicam, AVDITORES? Fuiſſet, fuiſſet profectò excors & demens Guſtauus noſter, ſi pro vindicando regni ſui titulo non vim omnem ſuam & vitam expoſuiſſet. Regem non appellarunt? At ſane Regem horruerunt, vindicem ſenſerunt, triumphatorem agnouerunt; atque illa vna, ſeu ſuperbia, ſeu inuidia fuerit, vltimum pæne Germaniæ exitium comparauit, & Guſtauo noſtro iuſtiſſimam belli cauſam attulit. Quid enim hoc erat aliud, Regem illum non appellare, quam regnum illi eripere velle, vel alteri fortaſſis regnum eius addicere? Poterat hæc vna cauſa ſufficere, vt Germania periret, ſi non aliæ etiam grauiores Guſtauum noſtrum verè Regem irritauiſſent. Vnum quidem bellum fuit, ſed vnius belli cauſæ pluſquam centum exſtiterunt. Nos vnam adhuc

huc videamus. Parum erat Regi noſtro Regis titulum ac nomen ademiſſe, mare etiam Balticum, cuius Præfecturam tutelamque Suecię Monarchę poſt hominum memoriam obtinuerunt, eripere illi Cæſar cogitauit, nec cogitauit tantum, verum etiam tentauit, & Walſtenium per ea maris ſpatia ſummum Præfectum renuntiauit. Hoc titulo iſtaque Dignitate ſuperbiuit ille, nunquam tamen ſatis ſuperbus, aliquot in Saxonia Pomeraniaque portus occupauit, claſſem omni apparatu bellico inſtructiſſimam adornauit, non vt piratas depelleret, ſed vt ipſe piraticam exerceret; non vt Pomeraniæ littora tueretur, ſed vt inuaderet; non vt vicinis populis præſidio eſſet, ſed vt illis exterisq́, Cæſarem ſuum formidabilem redderet, & illi ad Europæ Monarchiam aſpiranti hoc modo viam pararet. Hæc eſt cauſa illa, AVDITORES, quâ Regem noſtrum, tanquam leonem quieſcentem, Walſtenius in arenam euocauit. Vos ipſi iudicate; debuítne tam potens

Rex tamque gloriosus Bellator permittere, vt è maris Baltici, cuius erat post longam maiorum suorum seriem custos, possessione deturbaretur? an non potius id agendum illi fuit, vt, cum regno suo propter nouam illam Walstenij Præfecturam & prodigiosam eius dominandi cupiditatem meritò timeret, rebus inprimis suis, tum portubus maritimis, & Pomeraniæ tandem aliquando sumptis armis prospiceret? Quisquis initijs crescentis nimium alienæ potentiæ maturè non occurrit, serò postea perditis rebus omnibus dolet. Nunquam satis est secura libertas, nec vigilare nimis multum potest, qui potentem & ambitiosum vicinum habet. At, inquiunt Cæsareani, nullum nobis Suecus iste bellum indixit. Imitatus est Pyrrhum Rex noster, qui cum Spartam occupare vellet, exercitum suum inscijs omnibus in Spartanorum fines deduxit, & omnibus prædandi populandique potestatem concessit. Quærentibus autem Spartanis cur bello

non indicto, ac contra Gentium ius illos inuaderet, nec vobis, inquit, ô Spartani, multum est curæ, quod facturi estis alijs denuntiare. Neque ipse nobis Cæsar, quod occupare Balticum mare vellet, aut Polonis suppetias ferre, significauit. Nullum causarum eiusmodi recensendarum finem inuenirem, si persequi singulas vellem, & tamen finiendum est aliquando. Hoc dico, Christianissimus Franciæ Rex Ludouicus decimus tertius non has tantum, quas commemoraui, iustissimi belli causas approbauit, verum etiam in fœderis societatem eâ lege nobiscum venit, vt cum Rex noster triginta peditum, & equitum decem millia in Germaniam educeret, ipse quadringenta aureorum millia quotannis aut Parisijs, aut Amsterodami numeraret. Ita per Charnaceum Legatum suum promisit, iurauitque. Neque aliud hoc fœdere constitutum fuit, quam vt Germaniæ sua libertas esset, Principes à Cæsare oppressi suis ditionibus restituerentur, noua ad ma-

re Balticum propugnacula destruerentur, commercia inter Regis vtriusque subditos liberrima forent, Bauarus cęterique Catholici fœderis Principes aut amici essent, & ad neutram partem accederent, aut sese huic societati præstitis auxilijs adiungerent. Quid, obsecro, iustius constituere tanti Reges potuerunt? quid æquius decernere? quid ad gloriam Christiani nominis laudabilius pacisci? Petebatur his equidem armis, ac potissimum Austriaca illa Gens, quæ tot populos sub grauissimæ seruitutis iugo tenet, & Europæ suam eripere libertatem contendit, vt occupatis tot aliorum Regum prouincijs totius orbis Monarchiam inuadat; sed nimirum refrænanda erat Gentis istius ambitio, coercenda intra terminos potentia, sistendus tot victoriarum cursus, vt cum modestiam didicerit, spes suas hæreditariarum terrarum finibus terminet, & ab aliorum ditionibus abstineat. Neque cuiquam dubium esse debet, quin Maiestas illa, quæ supra nos est, & bello-

rum progressus moderatur, felicissimo Regi nostro diuinitus fauerit, animum eius ad tam arduum bellum, quod susceperat, erexerit, & fortunam eius armis alligarit. Quis enim nisi impetrato Maiestatis illius auxilio tot res ac tantas gerere vnquam potuisset, quot & quantas Rex noster breuissimo tempore, tremente & obstupescente orbe vniuerso, confecit? Numerant alij paucas vrbes, quas suæ potestati subiecerunt; Gustauus noster plures prouincias subiugauit, quam alij perambularunt. Non dicam eum occupauisse Stetinum, Grippenhagium, Lohemitsam, Garziam, Francofurtum Oderanum, Lansbergum, Mechelburgum, Brandenburgicum nouum, Trextouum, Loixam, Damminum, Colbergum, Malchinum, Fursterwaldum, Hauelbergam, Lipsiam, Wirceburgum, Francofurtum ad Mœnum, Moguntiam, Erfordiam, Bambergam, innumeras alias, quas superare facilius nobis fuit, quam numerare. Hoc dicam, quod omnis admira-

bitur Posteritas, vno belli impetu Gustauum nostrum sic à Mari Baltico sinuque Codano Treuiros vsq; victorem peruenisse, vt vix credant, qui dubitare tamen non possunt. Nihil Lappis nostris & Gothis, nihil Finnis & Sueonibus, ingentibus animis, immotis, & inconcussis resistere poterat. Non Tillius Germaniæ totius horror, quem antea inuictum in campis Lipsianis vicimus; non Walstenius, qui fortunam frustra dubijs prælijs lacessebat; non Croatæ prodigum vitæ hominum genus. Vicimus autem, quia nobiscum Deus, & nos cum Deo pugnabamus. Quid restat? Nihil omnino, AVDITORES, nisi vt credatis inuictissimum Regem nostrum propter subsidia Polonis à Cæsare contra se missa; propter litteras suas interceptas & resignatas; propter Legatos non admissos, & violata Gentium iura; propter consanguineos suos, propinquos, & fœderatos ditionibus suis eiectos; propter suppressum aut negatum Regis titulum; propter mare Balticum ob-
sessum

ſeſſum vel piratis deſtinatum, deniq; propter religionis libertatem, iure in Cæſarem arma mouiſſe, quæ & Rex Chriſtianiſſimus approbauit, & Regum Rex Deus tot victorijs ac triumphis per vniuerſam pæne Germaniam cumulauit. Veſtrum eſt, nullâ ſuſpicione ſiniſtrâ Regem illum onerare, qui quamdiu arma in manibus tenuit, tam diu fortunam ſibi ſeruire fecit, felicitatem ſibi adiunxit, Deum à partibus ſuis habuit, nec ſibi, ſed Germaniæ vicit, & in ipſo victoriæ Gloriæq; immortalis ſinu moriens conquieuit. DIXI.

Dixit

Perilluſtris ac Generoſus Dominus

D. ALEXANDER DE MERODE.



ORATIO II.

CÆSAREI ORATORIS.



NESCIO quo tandem fato fiat, AVDITORES, vt hoc tempore nullus fere Rex aut Princeps arma moueat bellumq́; ſuſcipiat, qui non idem auguſtiſſimam Principum Auſtriacorum Gentem inuadat, & in eius exitium vires omnes ſuas conuertat. Etenim vt præteritorum temporum funeſtiſſima bella, quæ vel Maximiliani Primi Cæſaris fortitudo, vel Caroli Quinti felicitas excepit, non commemoremus, hac ætate, quâ vniuerſa propemodum Europa luctuoſiſſimis armis agitatur, nemo eſt in tanta tot bellorum tempeſtate, qui non ad Sereniſſimæ Gentis illius perniciem conſpiret Quippe ad eam vnam ſubuertendam tot fœdera percutiuntur, tot

con-

conspirationes dolosæque machinationes sarciuntur, tot fortissimi terrà marique exercitus armantur; nec alius est hodie tot armorum scopus, quam vt Austriaci de Republicâ Christianà tam bene meriti, de fastigio summæ gloriæ potentiæque deturbentur. Ferendum vtcunque fortassis esset, si, cum in eius incolumitate Catholicæ Ecclesiæ salus nitatur, coniurati religionis nostræ hostes Hæretici in illam furore suo & armis concitarentur; sed, prô dolor, etiam Regum nonnulli, quorum laus est maxima in religione colendâ, tantà inuidiâ perturbantur, vt suorum regnorum videre calamitatem malint, quam Austriacæ Gentis gloriam aut potentiam intueri. Atq; idcircò vires omnes suas eo conferunt, vt illam aut euertant, aut intra angustissimos terminos redigant. Quod cum sola suorum armorum vi non possint, Hæreticos excitant, aut illis sese iuratâ societate coniungunt; & verò etiam Barbaros populos immanissimosque Principes ab vltimis pro-

pemodum terrarum oris euocant, vt iunctis armis Austriacæ Familiæ ruinam procurent. Quis enim nescit, Gustauum illum Suecum, sub quo vltimum exitium vniuersa Germania nuper expectabat, cum insatiabili quidem dominandi cupiditate, tum verò sollicitantibus quibusdam publicæ pacis perturbatoribus, qui sui regni fines per aliorum ruinas extendere contendunt, in Germaniam nostram cum ingentibus copijs irruisse? Atque hic cum præter inuidiam suam latiusq; dominandi cupiditatem nullam omnino belli Austriacis inferendi causam haberet, prætextum tamen aliquem excogitauit, ac varias animi sui offensiones confinxit, vt sumpta à se contra Ferdinandum Cæsarem & Austriacam Gentem arma, tanquam iustissima, tueretur. De quibus cum hic Suecus Orator plus satis in vestra illa attentione differuerit, & hoc vnum contenderit, vt magnifico verborum apparatu vobis persuaderet, Gustauum illum suum iustissimis causis ac

ſis ac grauiſſimis offenſionibus ad ſuſcipiendam Germanici belli expeditionem impulſum fuiſſe, ego rationibus eius inprimis reſpondebo, vt cum apertiſſimam earum falſitatem & leuiſſimum ſane pondus intellexeritis, ſtatuatis apud vos Suecorum illud bellum, quo Germaniam pene vniuerſam afflixerunt, iniuſtiſſimum atque iniquiſſimum fuiſſe. Erigite animos, Avditores, dico pro Ferdinando Cæſare aduerſus Guſtauum; dico pro Catholico Imperatore aduerſus Hæreticum; dico pro iuſtiſtitia aduerſus iniuſtitiam; dico pro Imperij Germaniæq; conſeruatore aduerſus externum inuaſorem deprædatoremque. Quod ſi audiri ſaltem Orator iſte iniuſtorum armorum patronus debuit, vos me pro veritate iuſtitiaque dicentem beneuolis animis audite. Ego in arenam cum illo iam deſcendo.

Ferdinandum Cęſarem Sereniſſimo Poloniæ Regi ſuppetias aduerſus Suecos miſiſſe inprimis affirmat. Quid ſi negem? Ne-

que

que enim Cęſaris vnquam aut voluntatem probabit, aut de mittendis auxilijs mandatum oſtendet. Sed ſit ita ſanè, fuerint noſtræ ſub Arnhemio Holſtenioque in Pruſſia copiæ, an non potuit iuſtiſſimus Imperator tanto Regi Nepoti ſuo & Chriſtianiſſimo Principi ſuppetias ferre? Quod, obſecro, Naturæ ius? quæ lex? quæ hominum conſuetudo, ne propinquo vel affini opem feramus, vetat? Neque ipſe Imperator, ſed Poloniæ Rex grauiſſimis offenſionibus irritatus ad arma contra Suecos proſiliebat, & à Cæſare propter neceſſitudinem auxilia poſtulabat. Milites hic paucos miſit, non bellum intulit; adeſſe nepoti ſuo voluit, ne inhumanus videretur, ſi non iuuaret. Tollenda ſane ex hominum ſocietate humanitatis & amicitiæ lex eſt, ſi ſuccurrere propinquis & amicis eſt nefas. Conqueritur deinde miſſas ad Tranſſyluanum litteras à Cęſareanis interceptas fuiſſe. Age verò quis intercepit? Nullos accuſauit, & puniri aliquos poſtulauit; nullos produxit, & ſuæ

quere-

querelæ rationem haberi efflagitauit. Non potuit Cæsar, cum rei nulli citarentur, iustitiam administrare, ac multò minus in aliquos animaduertere, cum flagitij nemo particeps produceretur. Occultæ sunt latronum insidiæ, & conquerendi, etsi non dolendi, occasio tollitur, cum personas flagitio obnoxias ignoramus. Quid mirandum autem tantopere est, si, ne ad Germaniæ portus quædam naues appellerent, prohibitum fuerit? In tanta tot hostium multitudine non potuit prudentissimus Imperator nimis multum Imperio Germaniæq; cauere. Sed violati, inquit, Sueciæ sunt Legati, cum ad tractandam Lubecæ pacem non sunt admissi. Non erat opus tantâ tot verborum contentione, nec tot profectò querelis. Admissi non fuerunt, fatemur; an idcircò violati? an vllum superbum illis responsum est datum? an vlla iniuriâ affecti fuerunt? Res inter Cæsarem Daniæque Regem agebatur, nec aliorum tum opus erat Legatis, qui susceptum in ea vrbe de

pace negotium aut impediuiſſent, aut perturbauiſſent. Quid ſi verò admitti etiam non potuerunt? Dederat enim hoc ſuis mandatum Cæſar, ne quos, præter Daniæ Regis Legatos, reciperent; ac proinde, mittere Suecus, ſi ſui regni intereſſe exiſtimabat, ad Cæſarem, atque illi, quicquid vellet, exponere debebat. Ita de iniuria conqueritur, & nullam probare iniuriam poteſt: nec facto vllo, nec verbo violati ſunt Legati. Cum Dano tantum pacis negotium tractare Cæſar voluit, an non potuit? Iactitet Suecus conſtituta à maioribus ſuis in Gallia, Hiſpania, Italia, alijsque prouincijs regna, hoc aliud profecto nihil eſt, quam ſummæ iniuriæ maiores ſuos arguere, qui Gentium quietiſſimarum pacem perturbarunt, & in alienas regiones, tanquam immaniſſimi graſſatores, ſine cauſa inuolarunt. Non ſatis eſt ad veram laudem viciſſe, aut aliena regna occupauiſſe, ſed armis iniuriam vindicauiſſe glorioſum eſt. Sequitur nunc illud, in quo veritus Orator

iste videtur, ne sibi Eloquentia, aut omninò oratio deficeret. Oppressi, inquit, propinqui, affines, & amici omnes nostri Regis erant, imò etiam afflicta miserè tota Germania manus illi tendebat, & suppetias implorabat. Vellem hic adesset, AVDITORES, Legatus ille, quem Scythæ olim ad Alexandrum miserunt, procul dubio quod Alexandro tunc dixit, idem Sueco pro me responderet, *Tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium Gentium, quas adijsti, latro es.* Nimirum venit in Germaniam Suecus non vt oppressos (nulli enim erant) recrearet, sed vt quietissimos populos opprimeret. Quas enim agrorum vastationes, quas vrbium depopulationes, quas strages, quas miserorum Catholicorum eiectiones, postquam sese in Germaniam effudit, non vidimus? Verè verè, quemadmodum hic dixit Orator, nulla tempestas, nullum fulmen, nulla aquarum illuuies sic vnquam desæuijt, sicut Suecorum effusa vis Germaniam pæne

vniuersam afflixit; & tamen vt iacentes erigeret, oppressos recrearet, eiectos restitueret, venire sese simulabat. Pomeranis equidem, Mechelburgensibus, ac nonnullis alijs opem aliquam tulit, sed quâ iis iugum imposuit, & occupatis eorum vrbibus potentiam suam alienis etiam viribus stabiliuit. Vt verè dicere possimus, Gustauum non suis, sed Germaniæ viribus Germaniam oppressisse, cum ea totius regni eius potentia non esset, vt sustinere Germanorum vim, multò minus tot prouincias occupare, potuisset. Dicam audacter, non Suecorum vi, sed fatali discordia sua, & nimia peruicaciâ Germani nostri Patriam suam afflixerunt. Quanquam quæ tum erat vel vrbium, vel prouinciarum oppressio, vt Suecum ad illis succurrendum ex Septentrione suo necessitas extraheret? Sumptus aliquos belli Imperator postulabat, & præstare tenebantur; militem per maris Baltici littora, per Pomeraniam, per Marchiam Brandeburgicam, per vicina loca alia,

con-

consentientibus Ducibus ipsis, distribuerat; vt tutam ab imminentibus tot vndiq; hostibus Germaniam conseruaret. Quid reprehendi iure hic potest? An militaris fortasse quibusdam in locis insolentia? Non excuso, sed hoc commune militiæ malum est, nec in Ducum semper est potestate militum insolentiam coercere, aut iniurias grassatorum quorundam arcere. At sane neq; etiam Imperator, qui præsidijs suis Germaniæ fines aduersus hostilem impetum muniebat, Clientes suos ditionibus exuebat, aut Germaniam opprimebat, quam tranquillissimam florentissimamq́; semper esse voluit, & vero etiam, vt speramus, nouas annuente Deo victorias, inusitatâ felicitate recreabit. Potuisset hic Orator de Mecheburgensi Duce tacere, qui quemadmodum grauissimè Cæsarem offenderat, ita eum Cæsar & Ducatu & titulo potuit priuare. Hæc enim defectionis est pœna; neq; ad Suecum spectabat postulare, vt Septemviri in eum mulctâ aliquâ pro qua ipse spõ-

 debat,

debat, animaduerterent, eâ tamen lege, vt in ditionem ſuam reſtitueretur. Hoc enim erat Cæſari legem ponere, & Domini poteſtatem reſtringere. Enimuerò non ferebat Suecus religionis libertatem coerceri, & Eccleſiaſticorum bona ab Hæreticis occupata repeti. Quam hoc omnino ridiculum eſt, & à ratione alienum? Si conſtitutam Paſſauij & Auguſtæ religionis pacem in Imperio ſeruari neceſſe eſt; ſi in eius verba, cum Imperij diadema ſuſciperet, Cæſar iurauit, quid aliud facere debuit, quam ſeueriſſimis edictis mandare, vt quæ occupata à Proteſtantibus Principibus Eccleſiaſticorum bona eſſent, reſtituerentur? vt Catholicos, quos ſuis ditionibus exterminabant, ſuis in bonis, patrijs ſedibus, & religionis exercitijs eſſe paterentur? vt in Germania ſoli eſſent, qui aut veterem Catholicam Religionem, aut confeſſionem Auguſtanam profiterentur? Ita enim iubet Auguſtana Imperij conſtitutio, ad quam ſeruandam iureiurando Septemuiri Cæſarem

rem

rem adſtrinxerunt. Quid reſtat? Multa, inquit ille, & multo indigniora reſtant. Litteras Septemviri ad Guſtauum dederunt, nec Regem appellarunt. O crimen ſcilicet omni bello vindicandum! Culpam fortaſsis in ſcriba aliquam ſuſpicari poterat, vel errore lapſum interpretari; ſed culpam omnem Septemviris Principibus adſcripſit, & ſe contemptum ab ijs eſſe dixit. Fateor hic & ingenuè & libenter me arcana tantorum Principum conſilia ignorare, nec in ea curioſius inquirere velle; quid ſi verò Regem illum idcircò non appellarunt, quod Guſtaui parens nullo iure ac per fraudem tantum in Sueciæ regnum, cuius erat conſtitutus adminiſtrator, inuolarit? quod Poloniæ Rex Sigiſmundus tertius poſt patris Regis obitum hæreditario iure Sueciæ coronam conſentientibus omnibus regni Ordinibus ſuſceperit, & dictum ſibi à populo Sacramentum acceperit? Quod hodie datus in Polonia Sigiſmundo Patri ſucceſſor Wladiſlaus iuſtiſsimo titulo regnum il-

lud sibi vendicet ac repetat? Noluerunt prudentissimi Electores, nec poterant, vna litterarum inscriptione tantam litem videri definiuisse, & legitimo hæredi ius suum ademisse. Sed nos procedamus, potuit enim Gustauus suppressi huius tituli rationem ab Electoribus postulare, ac non protinus ad bellum iniustissimum prosilire. Maris Baltici Præfecturam, quam sibi Suecus iure vendicabat, Walstenio dedit Imperator. Quid hic arguis? quid reprehendis? Eam Walstenio Imperator concessit, vt circa Pomeraniæ portus vigilaret, piraticas excursiones auerteret, commerciorum libertatem conseruaret. Et cum ante pactam cum Dano pacem non procul à Pomeraniæ littoribus Suecus excubaret, non debuit profectò Cæsar, vt ita dicam, altum dormire, sed omni cum diligentiâ præuenire. Imò cum timendum esset, ne occupatis in Pomerania propugnaculis nouos in Imperio motus Daniæ Rex excitaret, debuit Cęsar suis pręsidijs totam illam prouinciam

uinciam munire, & ad eius totiusque Germaniæ defensionem naues suas armare. Quod si Gustauus Sueciæ littora, arces, & munitiones quascunque potuit suo milite custodire, cur nefas Imperatori fuisset, illa ad Pomeraniam & mare Balticum Germaniæ claustra præsidijs instruere? Habuerit ille sui maris Præfecturam, nostri Cæsaris est mare nostrum, & quascunque Imperij terras, quibus potest viribus, tueri. Videor iam Oratoris huius rationibus plus satis respondisse, sed duo ille, vt arbitrabatur, grauissima causæ suæ momenta ad vltimam orationem reseruauit. Vnum est Christianissimum Franciæ Regem suscepti huius belli, quo Cæsar & Austriaca Gens potissimum petebatur, causas approbauisse, & in societatem fœdusque prestitis maximis auxilijs venisse. Hoc verò nouum certè non est, nec inauditum. Fœdus ille cum Suecis à Catholica Religione alienis, cum Protestantibus Germaniæ sectarijs, cum Batauis Hæreticis, & in Regem suum legiti-

mum armatis percussit; his militem pecuniamque subministrat, hos omni auxilio terrâ mariquè iuuat; ac tum potissimum, cum arma sua in Austriacos Principes distringunt, quorum magnitudinem & extensum longè lateq; Imperium nec ferunt Franci, nec equis oculis intuentur. Crescere Hæreticorum vires potentiamque malunt, quam Austriacorum; imò etiam expedire iudicant, vt Catholica Religio quibusdam in locis detrimentum patiatur potius, & in ijs Hæresis triumphet, quam vt Austriaci, summo licet iure, tam latè dominentur, quorum magnitudinem omnibus formidabilem esse confingunt. Non arguo Christianissimi Regis Maiestatem, quam omnes libenter venerantur, sed vtinam, qui Christianissimus Rex est, & Ecclesiæ, vt gloriatur, primogenitus Filius, cum eius hostibus societatem non amaret! Vtinam, inquam, ad audienda eorum consilia Regias aures non admoueret, qui ipsius gloriam non tam quærunt, quàm suo

contra

contra Principes Auſtriacos odio eius viribus ſatisfacere contendunt. Alterum eſt, Diuinam Maieſtatem hoc bellum procul dubio cum ſummâ iuſtitia coniunctum iudicauiſſe, quæ Guſtaui armis tam felicem ſucceſſum, tot victorias, totque triumphos in Germania conceſſit. Videte quam omninò nihil aut virtuti hoſtium, aut gloriæ detrahere velim. Fuit feliciſſimus Imperator & belli Dux Guſtauus, fuit ſtrenuiſſimus Bellator, & multorum veteris æui Ducum gloriam vel æquauit, vel ſuperauit; ſed mihi credite, à proſpero rerum in bello ſucceſſu ad Diuinæ Maieſtatis fauorem, inualidum ſane eſt argumentum. Nolo hic proſperam aliorum fortunam, quę luctuoſiſſimo tandem exitu terminata fuit, commemorare; nemo felicior Guſtauo fuit, cuius in ſinum tot lauros palmasque initio belli fortuna coniecit, ſed idem etiam infeliciſſimus extitit, qui vixdum expleto in armis triennio ſpes omnes ſuas, & ſanguinem, & vitam ſub hoſtium ſuorum gla-

dijs amittendo, moti temerariè belli pœnas grauissimas dedit. Blandiens illi fortuna initio arrisit, sed vt postea deciperet; victorias aliquot illi accumulauit, sed vt vnam de ipso gloriosissimam Austriacis paulò post daret; illum ex Suecia in belli Germanici arenam protraxit, sed vt Sueciam non amplius videret, & victima pro tot oppressis ab eo Catholicis populis mactaretur. Quanquam quid fortunam hic admiror, quam vt verè Christianus nullam agnosco? Fuit, fuit præpotens ille Deus, qui istum infestissimum Ecclesiæ suæ hostem, cum feruentissimis precibus Maiestatem eius pijssimi, sed afflictissimi, populi sollicitarent, confecit. Iactitent Sueci tot illa sua in Germaniæ campis trophæa, vnum de Gustauo, sed illis omnibus maius & gloriosius ereximus; deprædicent tot vrbes suis armis occupatas, nos eas victorias tantopere non admiramur, cum plurimæ vinci ab ijs voluerint, atque vltrò portis apertis inuitarint. Glorientur

quod breuiſſimo tempore atque vno belli impetu à Mari Baltico ad Rhenum & Moſellam vſque cuncta ſibi ſubijciendo penetrarint; mirum id profecto non eſt; cum in armorum iſtorum ſocietatem Proteſtantes omnes Principes venirent, permultæ potentiſſimæ Ciuitates fauerent, Hæretici omnes iuuarent, quorum omnium auxilijs ſi deſtitutus Guſtauus fuiſſet, nunquam de maxima Germaniæ noſtræ parte ſine Germanis triumphauiſſet. Reſpiraui, AVDITORES, & quemadmodum noſtris armis Guſtauus occubuit, ita hic eius Orator rationibus noſtris iacet profligatus. Supereſt, vt antequam dicendi finem faciam, pauca pro Ferdinando Imperatore & ſuſceptæ ab eo defenſionis iuſtitia dicam. Breuis ero, vos mihi nouam attentionis & beneuolentiæ auram aſpirate.

Nemo neſcit ita omni iure naturæque legibus comparatum eſſe, vt quicunq; Rex eſt, aut Princeps, aut Imperator, is in regno

Imperioque ſuo ſubditis omnibus legem ponere ac dicere ius omnino debeat, nec à quoquam ſeu fraude aliqua, ſeu machinatione violentâ turbari. Quod cum ita certum ſit, vt ne quidem paterfamilias aliquis iure poſſit in ſuæ Domus adminiſtratione impediri, quis non æquiſſimum Cæſaris noſtri aduerſus Suecos bellum iudicabit? Illi nullâ iniuria laceſſiti Imperij terras inuaſerunt, in quibus ſolus Dominus eſt, qui idem eſt Cæſar; illi quibuſdam Germaniæ noſtræ diſſidijs ſeſe immiſcuerunt, quorum non alius eſt Iudex, quam qui idem ſupremâ poteſtate ius dicit. Vnde efficitur, quod quemadmodum noluiſſet Suecus, nec vnquam paſſus fuiſſet, legem ſibi à Cæſare in Suecia poni, aut eius armis in terrarum ſuarum regimine turbari, ita nec ipſe Cæſaris in Imperio iura, quæ Romanæ Aquilæ ſunt, inuadere debuit & vſurpare. Sed nimirum imitari maiores ſuos, veteres illos Gothos & Vandalos voluit, qui ſuis viribus confiſi & dominandi cupiditate

com-

compulſi in aliena regna inuolarunt, inq́; totam Europam ruptis iuſtitiæ repagulis, humana omnia diuinaq́ue iura proculcantes irruerunt. Inuitabat equidem illum ſuauior Germaniæ noſtræ aura mitiorq́; cœli temperies, & illas patriæ ſuæ ſolitudines deſertaq́ue fertiliſſimis temperatiſſimisq́ue ditionibus noſtris permutare vehementer optabat; ſed maior ardentiorq; eius animo fines ſuos extendendi cupiditas inſidebat. Iam enim poſt ſubiugatam, vt ſperabat, Germaniam raptumque Imperij diadema Italiam ſpe ſua deuorabat, vt in Capitolio Romano laureas ſuas triumphator deponeret. In Galliam etiam, fœderatum ſibi regnum, irruiſſet, nec adhuc in ea fortunæ ſuæ metam fixiſſet; vlterius quoque veterum Gothorum veſtigia ſequens ad Hiſpanias aſpiraſſet, & apud Herculis columnas deuicti orbis trophæa, erexiſſet. Hæc erant animi eius commenta, hæc inquietæ mentis deſideria, hæ inſatiabilis ambitionis cogitationes, quę illum non Europę tantum,

ſed

ſed mundi etiam vniuerſi candidatum efficiebant. O quam vellet hodie nunquam ſe Sueciæ finibus exceſſiſſe, quam Natura interfuſis ęquoribus à Germania ſeparauit! O quam optaret, nunquam ſe alienis in Imperio diſſidijs immiſcuiſſe, qui ſubditis ſuis tranquilliſſimâ in pace regendis glorioſiſſimè poterat occupari! Sed ne mortui Manes conturbemus, ad alia feſtinemus. Antiquis nouisque Imperij legibus ſeuerè ſancitum eſt, ne quis alterius ſubditos in tutelam ac patrocinium ſuſcipiat, quod iurium quædam oriatur confuſio, & iniuria imperantibus fiat, quorum ſubditi ac clientes ab ea, quam præſtare Naturæ iure debent, obedientia auocentur. Damnat eiuſmodi fœdera Aurea Bulla, nec aliter clientelas illas Iulius Cæſar, quam factiones, quæ ad Reipublicæ interitum ſpectarent, appellabat. Quid ergo? an non in Imperij leges Guſtauus impegit, qui Pomeraniæ Ducis & aliorum, vt ipſe iactitabat, patrocinium ſuſcepit? an non Imperij iura

iura inuasit, qui Imperij subditos in tutelam accepit? an non factionis in Imperio ac rebellionis author fuit, qui aduersus legitimum Principem concitato bello subditos defendere præsumpsit? Enimverò quæ erat ista vel armorum, vel defensionis necessitas? Cæsareani in Pomerania milites erant. Erant sane, & ipse Dux Bogislaus cum metationum Præfectis à Cæsare missis de rebus necessarijs, ac de annona potissimum illis præstanda, per triennij spatium bona sinceraque fide conuenerat. Erant & in ditione Brandeburgica, quos Serenissimus Princeps Elector, vt debebat, aluit sustinuitque. Ita enim Imperij leges iubent, vt quicunque Germaniæ Principes, cum publica necessitas exigit, Cæsari & Imperio militent, sumptus ad bellum necessarios præstent, ac nihil omninò pro conseruanda communi salute recusent. Quod si militum insolentia, vt plerumque fit, quasdam iniurias Pomeranus est passus, non ad Gustauum, sed ad Imperatorem

prouocauit, quod non ignoraret ſupremam Imperij cuſtodiam, non ad alium, quam ad Cæſarem pertinere, qui non citius factus eſt Imperator, quam Imperij protector. Nec poterat ipſe niſi pernitioſiſſimo exemplo permittere, vt Princeps aliquis alienigena & tranſmarinus eam ſibi poteſtatem ſumeret, quâ de Germanorum Principum controuerſijs iudicaret, aut eorum ſe protectorem offerret. Sciebat enim ſub eiuſmodi patrocinij prætextu Romanos olim imperium ſuum amplificauiſſe, Turcas fines ſuos extendiſſe, ac non ita pridem Gallos Metas, Tullum, Virdunum, aliasque Imperij vrbes inuaſiſſe. Quod ſi Pomeranus vltrò ditionem ſuam Sueco conceſſit, ſi fœdus cum eo percuſſit, ſi annonam illi militarem ſubminiſtrauit, in læſæ Maieſtatis crimen incidit, & factus Cæſaris eſt inimicus, qui cum Cæſaris inimico ſocietatem contraxit. Vt illud iam non dicam, quod cum Suecus omnia ad mare occupaſſet, & Torquatus de Comiti-
bus

bus præsidium illi Cæsareum offerret, maluerit se patriamque suam hosti quasi pro foribus existenti committere, quam Domini ac Cæsaris sui milites recipere. Nunquam ille tantum à se crimen amolietur; nunquam inustam illam suo nomini maculam & infamiam delebit. Quid nunc dicam Suecum ita bellum gessisse, vt contempto Gentium omnium more non indixerit? Quid commemorabo, quod nullo iuris ordine seruato, ac nullis omnino præmissis de iniuria aliqua querelis in Imperium irruerit, & Cæsarem de supremæ authoritatis suæ possessione deturbare vi tentarit? Protestabatur equidem passim nolle se vel Imperio, vel Imperatori suum ius auferre, sed tamen peregrinum exercitum & arma sua in Imperium inducebat, Germaniæque Principes in fœdus ac clientelam admittebat. Offerebat Gedani per Legatos suos spem aliquam pacis, sed tamen Cæsari legem ponebat, vt ex Saxonia præsidia sua deduceret, vt exstructa ad mare

Balticum propugnacula deſtrueret, vt Mechelburgenſes aliosque nonnullos reſtitueret, vt Stralſundam obſidione liberaret, vt nulla denique Suecorum hoſtibus auxilia ſubminiſtraret. Quid hoc, obſecro, aliud erat, quam Imperatorem ad ſibi parendum cogere velle? quam Germaniæ ac Imperij Dominum ſeſe oſtentare? quam præſidia ex vrbibus, milites ex agris, arma ex manibus extorquere, vt eo facilius ac nullo impedimento Imperatorem ſeſe conſtitueret? Neque enim dum pacis, etſi iniquiſſimæ, mentionem faciebat, pacem tamen vllam volebat, ſed Romanam in Germania Eccleſiam peſſumdare, & in Imperij Gentisque Auſtriacæ ruinis Religionem Catholicam adhærentesque illi Principes ſepelire. Hoc fuit aliorum Hæreticorum votum, hic eius ſcopus, hæc meta, ſi tamen vlla eſſe potuit, armorum. Vidimus hactenus, & adhuc dolemus, imò videmus adhuc gementes ſub iugo Suecico multas vrbes, Religionem Catholicam eiectam, Exules
Prin-

Principes aliquos Electores, proſcriptos ſacros Ordines, & quaſdam Suecorum in viſceribus Germaniæ reliquias ſummà crudelitate graſſantes, quibus dum auxilia Gallorum adhærent, plus quam Turcicam ſæuitiam exercent. Quæ cum ita ſint, nec debuerit Guſtauus Cæſari in Impèrio legem ponere, nec Germaniæ Principes in tutelam ſuam accipere, nec bello non indicto peregrinum exercitum inducere, nec Imperatoriam authoritatem labefactare, vel potius ſibi vſurpare, ac multò minus veterem Imperij Religionem, quæ Catholica eſt, contra ipſius Imperij leges exterminare velle, nemo eſt, qui non ea arma, quæ aduerſus illum Ferdinandus Imperator cœpit, iuſtiſſima debeat iudicare. Dicam amplius, nemo Principum Regumque Catholicorum eſſe debet, qui vires Cæſaris viribus non iungat, vt hoc nefandiſſimæ & ambitioſiſſimæ Nationis bellum (quanquam quid bellum dico?) vt, inquam, pernitioſiſſimum hoc in Germa-

nia latrocinium aliquando tandem extinguatur. Reijciantur vltra mare, & in Septentrionem vſque prædones illi, qui poſtquam miſerè Germanos ſpoliauerunt, eorum adhuc ſanguinem exſugunt. Profligentur illi, & in regnum ſuum repellantur, qui dum ſe libertatem tueri velle ſimulant, iugum imponunt, nec ſocijs fœderatiſque ſuis, ſed ſibi vincunt, & dum Auſtriacam Gentem deprimere contendunt, Romanam Eccleſiam crudeliter affligunt. Neque ſane deſperandum eſt, quin à partibus ſuis habiturus ſit Deum Imperator, qui Dei ipſius, qui Eccleſiæ, qui Religionis, qui Iuſtitiæ cauſam propugnat. Et cum iam manifeſta diuini fauoris ſigna tot inexpectatis victorijs teſtata videamus, vota faciamus, AVDITORES, vt de Suecis, de Hæreticis, de Eccleſiæ & Imperij hoſtibus, de Inclytæ Gentis Auſtriacæ inimicis, eorumque fœderatis, Ferdinandus Imperator triumphet, frendeant

&

& rumpantur inuidi, gestiant, exultent, applaudant Catholici. Dixi.

Dixit

Perillustris ac Generosus Dominus

D. PHILIPPVS

DE MERODE.

Censvra.

Hanc Dissertationem, vti elegantem ac disertam, prœlo dignam censeo. 25. Maij 1635.

Antonivs Loverivs *S.T. Licent. Apostolicus & Regius Librorum Censor.*